



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

XXVIII. Adventus Reliquiarum S. Liborii Ep. & Conf. Dupl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

Die XXVIII, Maji.

ADVENTUS RELIQUIARUM
S. LIBORII EP. CONFESS.

Duplex.

Omnia de communi Confessoris Pontificis præter propria in Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Liborium ministrum tribuisti, præsta quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Lectioes i. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Legati Baduradi Episcopi Cenomano ad Ecclesiam suam reversuri; ingressi Saxoniam, præ nimiam sibi turbam obviante, vix gradum movere poterant: totis tamen nisibus iter accelerantes tandem die tertio, quinto Kalendarum Juniarum, quâ

G 3

tunc

tunc sacrâ Pentecostes solemnitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam pervenerunt. A quâ cum adhuc tribus miliaribus distarent, ob immensam multitudinem, quæ sequi non poterat, in medio campo Missarum celebraverunt solemnia. Verùm antequam ea finirentur in eodem loco quinque pariter homines à variis debilitatibus liberati causam immensæ admirationis & lætitiæ, tantam Dei virtutem videnti populo, præbuerunt. Insuper eâdem horâ in ipsâ Ecclesiâ Paderbornensi puer quidam, de eâdem Parochiâ oriundus, qui à die nativitatis suæ surdus erat & mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum divina potestas & dispensatio, ut in die adventûs ipsius tot signa coruscantia indicio essent

cun-



eumdem locum ad hoc fuisse coelitus electum, ut tanti Confessoris corpore illustraretur.

R. Inveni David.

Lectio V.

Quod cum innumeris undique stipatum turbis Urbi appropinquare coepisset, Clerus omnis cum universis Ecclesiastici cultus ornamentis processit ei obviam sequente populo, qui vel de longinquo venerat, vel qui ex eodem Oppido & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solemnia in tantâ festivitate fuerat congregatus. Cumque sibi non parvo ab Oppido intervallo uterque populus sequentium videlicet venerabile corpus, atque excipientium obviasset, hi qui occurrerunt, ter solo prostrati summâ illud cum veneratione susceperunt. Cumque Clerus in Hymnis & Confessionibus Deum benediceret, & spiritualium

carminum melodiam sanctorum laudi concineret congruam, populus verò Kyrie eleyton ingeminaret, cum ineffabili jubilo erectis ad Deum mentibus singulorum nihil ejus laude dulcius videbatur; ita ut in hujus vitæ exilio similitudinem quandam beatitudinis, quæ in Patriâ speratur, prægustasse viderentur.

R. Posui adjutorium.

Lection VI.

Tali quoque magno honore sacratissimum corpus in Ecclesiâ Paderbornensi delatum; & in illo, quo hætenus requiescit, collocatum est loco, ubi magnis postmodum miraculis effulsit, variaque sanitatum dona præstitit, sunt autem tam magna & sacratissima pignora in dictâ Ecclesiâ præcipuè, non immeritò dignis laudibus & honoribus extollenda. Nam in ejus Translatione bonæ memoriæ Aldricus, Cenoma-

nomanicæ urbis Antistes ad se vocatis nuntiis sive missis, tunc Paderbornensis Episcopi Baduradi, pretiosissima pignora coram omni Clero & populo commendavit, sub obtestatione gravissimâ: ut cum digno semper honore tractarent; nec eis unquam omnis reverentia cultûs Ecclesiastici à quolibet Episcopo Paderbornensi & Clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc per eundem Aldricum inter utriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis, congregationes firmata est fraternitas perpetuæ charitatis.

Ry. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Homo peregrè. de com. Conf. Pont.

Missæ. Statuit. Oratio: Deus, qui populo. ut supra.

OF.